



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

67. Idem Philippus, Marchio Namurcensis, an. 1212. militaris seu equestris ordinis viros liberat à seruitute soluendi melius mobile seu cathellum, vt vocant, post obitum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

CAPVT LXVII.

Idem Philippus, Marchio Namurcensis, an. 1212. militaris seu equestris ordinis viros liberat à seruitute soluendi melius mobile, seu cathellum, ut vocant, post obitum.

EGO PHILIPPVS Marchio Namucensis notum facio vniuersis, tam præsentibus quàm futuris, quòd consuetudines quasdam indecentes, quas contra honorem militare in iuste vsurpaueram, iniquas esse discernens, decreui & statui, vt à nullo milite, qui sit de familia vel aduocatione mea, melius mobile (quod quidem melius cathellum dicitur) de cætero accipiatur post eius decessum, nec id ab eius herede pro illo mortuo exigatur.

Vt autem hoc habeatur ratum, præsentem scripto & sigilli mei appositione confirmaui. Actum apud Reaton, anno Dominicę incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo. 1212.

NOTATIO.

PHILIPPVS, cognomento Nobilis, Marchio secundus Namurcensis, Balduini Imp. Constantinopolitani frater, non anno millesimo ducentesimo decimo tertio (vt eius tumulo per errorem à posterioris æui manu insculptum legitur) sed anno millesimo ducentesimo duodecimo viuere desijt: vt Paulus Cronendalius in sua ms. Comitum Namurcensium Historia, ex fide tabularum publicarum, rectè probat.

In eiusdem tumuli apud Namurcenses inscriptione (quam in Stemmatibus Belgicis cap. 23. produxi) falso dicitur fratris sui Henrici in Comitatu Namurcensi successor. Successit enim immediatè patri suo Balduino Magnanimo, & obiit quadriennio ante fratrem suum Henricum Imperatorem Constantinopolitanum, qui Comes Namurcensis non fuit. Philippo autem Nobili in principatu Namurcensi soror successit IOLENDIS, Petro Comiti Autisiodorensi nupta: cuius tabulas mox producam.

Z z z

CAPVT